

Martinus, Sacrae Scripturae, &c.

FORMULA vitæ honestæ, opus,

QVOD DIV QVIDEM L. AN.

Senecæ De quatuor Virtutibus falso inscriptum,
prostituit: sed auctori suo Martino Episcopo, iam
tandem ex vetusti codicis, qui est Niorti, fide af-
fertum, ac collatis varijs exemplaribus emenda-
tum.

PICTAVIS,

Ex officina Enguilberti Marnefij.

3-1-19



MONVERAT aliquando me Maturinus Colinus Fossæus esse Niorti, quod celebre apud Pictones oppidum nemo non nouit, in vetustiore Franciscanorum bibliotheca, antiquum manu scriptum codicem, in quo essent Græca, quæ in impresso L. Annæi Senecæ in Claud. Cæfarem ludo, defyderabantur. eò cum videndi exemplaris illius gratia venisse, euoluerémque interim quicquid illic esset veterum librorum, incidi in hoc Martini Episcopiopus: cuius scriptoris nomen quia antea nusquam nec visum mihi, quod meminisse, nec auditum fuisse, cœpi paulò attentius libellum legere, ut quid rei esset id cognoscerem. Perlecta itaque ad Regem epistola, vixdum tres operis versus absoluera, cum statim id agnoui, quod pueris nobis, à barbaris planè, ut illud erat sæculum, præceptoribus, in carnificinis suis, titulo, *Senecæ de quatuor virtutibus Cardinalibus*, enarratum fuerat. Euénit illud mihi quām gratissimum: quare empto confessim de Pictauensi bibliopola, qui tunc commodū affuit, impresso exemplari, adhibitóque puero cœpimus, conferre diligentius ac castigare, de edendo auctoris sui nomine iam tum cogitantes, non tam vir sua apud posteros laude ille non fraudaretur, quām ut D. Erasmi acre & certum, ineptis quibusdam calumniatoribus comprobaremus iudicium: qui non minus recte, ut modo palam est, Senecæ opusculum hoc esse negavit, quām D. Augustini illud de *vera fide ad Petrum*: quod Fulgentij Episcopi esse (id & hoc loco obiter mo-

nuisse non ab re futurum visum est) locupletissimus te-
stis est peruetus ille codex , quām ab Ioanne Sangelasio ,
clarissimo Vcetiarum episcopo , apud Maxentianos su-
os Benedictinos repertum , atque mihi concreditum , di-
ligenter custodio , non ob eam solūm causam , vt pro-
ferri possit , si qui fortè his nostris non ita creduli , eum
videre cupierint : sed etiam quòd post prædictam *Regu-*
lam veræ fidei , duos eiusdem *Fulgenty de remissione pecca-*
torum ad Euthymium lib: os habeat , quos in studiosorum
manus typis excusos nondum venisse puto . Sic igitur
nunc tandem *Formulam honestæ vitæ* & auctori suo
sedulo vindicatam , & multo integriorem puriorēmque
redditam , exire in lucem sub tuo nomine iussi , Ludo-
uice humanissime , vt esset hoc aliquod nostræ in te ob-
seruantæ testimonium . Vale , & me , quo instituisti , a-
more prosequi perge . Piætati , xiiii . Cal . Iul . Anno
Dominii CHRISTI M. D. XLIV.

D E S . E R A S M I R O T E R O D A M I C E N-
sura de huius opusculi auctore .

Quod sequitur opusculum sine controversia non est
Senecæ , licet admixta sint permulta ex eius libris decer-
pta studio hominis Christiani . Nam in ipso statim ini-
tio occurrit , Scire debes , quia sunt : ac mox , ex rebus
transitorijs . Rursum Cap . de Continentia , à corpore ad
spiritum . mox in eodem , scito quia profuit : & , scito quia
prodeesse voluit . Hæc nimirum Christianissimum olen ,
nec tamen eiusdem hominis videtur consarcinatio .
nam appendix de moder . &c .

M A R T I N I E P I S C O P I
vita ex Jo. Trittenhemio.

Martinus Episcopus Dumiensis cœnobij rector quondam & abbas, vir tam in diuinis scripturis quam in sæcularibus literis eruditus : veniens à partibus orientis in Galliam , Sueorum populum doctrina & miraculis ab Ariana impietate ad rectam fidem conuertit, regulas orthodoxæ fidei constituit, monasteria condidit, ecclesias reformauit. Scripsit ad Mitonem regem Galiciæ , de quatuor virtutibus , quas Cardinales appellant , instrutum volumen , quod prænotare voluit,
Formulam honestæ vitæ, lib. i. Gloriosissimo &
tranquill.

Epistolarum plenum cultura virtutum. lib.i..

Et quædam alia quæ non vidi.

Claruit sub Theudemiro rege Sueorum : imperium Constantinopolitanum gubernante Iustiniano Augusto. Anno domini D. X L.

GLORIOSISSIMO AC TRANQVIL-
LISSIMO REGI MIRONI
Martinus humilis Episcopus.

NO N ignoro Clementissime Rex, flagrantissimam cui animi fitim, sapientia insatiabiliter poculis inhiare, eaque te ardenter, quibus Moralscientiariuuli manarent, fluenta requirere: & ob hoc humilitatem meam tuis sapientiis literis admones, ut dignationi tuae crebro aliquid per epistolam scribens aut consolationis, aut exhortationis alii- cius, & qualiacunque sint, dicta offeram. Sed quanuis hoc tuae pietatis exigat studium, scio tamen renuitatem mea insolentem à cunctis impingi proterviam, si regalis reue- renzia grauitatem aut assiduis, aut vilibus, ut liber, dictis offendam. Et ideo ne aut ego licentia piæ invitationis abuterer loquendo, aut vestro magis desyderio obfisterem reti- cendo, libellum hunc nulla sophismatum ostentatione poli- tum, sed planicie puræ simplicitatis excerptum, capacibus fi- denter auribus obtuli recitandum: quem non vestræ specia- liter instituo potestati, cui naturalis sapientia sagacitas præstò est, sed generaliter his conscripsi, quos tuis ministe- ries astantes hac conuenit legere, & intelligere, & tenere. Titulus autem huius libelli est, Formula vitæ honestæ: quem ideo tali volvi vocabulo superscribi, quoniam non illæ ardua, quæ à paucis & egregijs deicolis patrantur, instituit, sed ea magis commonet, quæ & sine diuinarum scriptura- rum preceptis, naturali tantum humana intelligentia lege, etiam à laicis rectè honestèque viuentibus, valeant adimpleri.

4

FORMULA VITAE HONESTAE PER
Martinum Episcop.

VATVO R virtutum species multorum sapientum
Q sententij diffinitæ sunt, quibus animus humanus
comptus ad honestatem vitæ posse accedere. Ha-
rum prima est Prudentia, secunda Magnanimitas, tertia
Continentia, quarta Iustitia. Singulæ igitur harum his
officij, que subiis annexa sunt, honestum ac bene moratum
virum efficiunt.

DE PRUDENTIA.

QVIS QVIS ergo Prudentiam sequi desyderas, tunc per
rationem recte viues, si omnia prius recte existimes, &
perpendas: & dignitatem rebus non ex opinione multo
rum, sed ex earum natura constitues. Nam scire debes, quod
quædam sunt, quæ videntur esse bona, & non sunt: & quæ-
dam non videntur esse bona, & sunt. Quecunque autem
ex rebus transitorijs possides, non mireris: nec magniæsti-
mes, quod caducum est: nec apud te quæ habes, tanquam al-
liena seruabis, sed pro te tanquam tua & dispenses, & rea-
ris. Si Prudentiam amplecteris, ubique idem eris: & prout
rerum ac temporum varietas exigit, ita te accommodes tem-
pori, nec te in aliquibus mutes, sed potius apres: sicut manus,
quæ eadem est, & cum in palmam extenditur, & cum in
pugnum constringitur. Prudentis proprium est examinare
consilia, & non citofacili credulitate ad falsa prolabi. De
dubijs non diffinias, sed suspensam tene sententiam. Ni-
bil in expertum affirmes: quia non omne, quod verissimile
est, statim & verum est, sicut & sapius quod primum incre-

dibile videtur, non continuò falso est. Crebrò siquidem faciem mendacij veritas retinet. Crebrò mendacium specie veritatis occultatur. Nam sicut aliquotiens tristem frontem amicus, & blandam adulator ostendit: sit verisimilitudine coloratur veritas: & ut fallat, vel ut surrepat, conatur. Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende: & quæ contingere possunt, animo tuo cuncta propone. Nihil tibi subitum sit, sed totum ante conspicias. Nam qui prudens est, non dicit, Non putavi quidem hoc fieri: quia non dubitat, sed expectat: nec suspicatur, sed cauet. Cuiusunque causam facti inquire: & cum initia rerum inueniris, & exitus cogitabis. Scito te in quibusdam debere perseverare, quæ incœpisti: quædam vero nec incipere debes, in quibus perseverare noxiū est. Prudens falli non potest, nec fallere vult. Boni est viri etiam in morte neminem fallere. Opiniones tuae iudicia sint. Cogitationes vagas, & somnio similes, non recipias, quibus si animum tuum oblettaveris, cum omnia disposueris, tristis remanebis: sed cogitatio tua stabilis, & certa sit, siue deliberet, siue querat, siue completeretur. Sermo quoque tuus non recedat à vero, nec sit inanis: sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. Lauda parçè, vitupera parcius: nam similiter reprehensibilis est nimia laudatio, sicut immoderata vituperatio. illa siquidem adulazione, ista malignitate suspecta est. Testimonium veritati, non amicitiae reddas. Cum consideratione promitte, plenius quam promiseris, præsta. Si prudens est animus tuus, tribus dispensetur temporibus. præsentia ordina, futura prouide, preterita recordare. nam qui nihil de præterito cogitat, vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incanus incidit. Præpone igitur in animo

in animo tuo mala futura, & bona: ut illa sustinere possis,
 & ista moderari. Non semper in actus sis, sed interdum ani-
 more quietem dato: & requies ipsa plena sit sapientiae studijs
 & cogitationibus bonis. nam prudens nunquam otio marceret.
 animum aliquando remissum habet, nunquam solutum. ac-
 celerat tarda, perplexa expedit, ardua exæquat, dura mol-
 lit, temperat aspera. Scit enim, quid quæ viæ aggredi debe-
 at: & singula citè destinat. Vider consilium peritorum.
 ex apertis obscura aestimat, ex parvulis magna, ex proximis
 remota, ex partibus tota. Non te moueat dicentis autho-
 ritas, nec quis, sed quid dicat attendito: nec quam multis,
 sed qualibus placeas, cogita. Id quære, quod potest inueni-
 ri: id discé, quod potest sciri: id opta, quod optari coram
 bonis potest. Nec altiori rei imponas, in qua stanti tibi
 tremendum sit, descendenti cadendum. Tunc consilia tibi sa-
 lutarifera aduocato, cum tibi huius vita prosperitas alludit.
 tuncce, velut in lubrico, retinebis, ac sistes: nec tibi dabis libe-
 ros impetus, sed circunspicies quo eundum sit, vel quousque.

DE MAGNANIMITATE.

MAGNANIMITAS vero, que, qua & fortitudo di-
 citur, si insit animo tuo, cum magna fiducia viues li-
 ber, alacer, intrepidus. Magni animi hominis bonum est non
 vacillare, sed sibi constare, & finem huius vita intrepide ex-
 pectare. Nihil aliud magnum in rebus humanis, nisi ani-
 mus magna despiciens. Si magnanimus fueris, nunquam
 iudicabis tibi contumeliam fieri. de inimico dices, Non no-
 cuit mihi, sed animum nocendi habuit. & cum illum in po-
 testate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse.

B

FORMULA

Scito enim magnum & honestum vindictæ esse genus , ignoscere . Neminem fusurro appetas , neminem suffodias , palem aggredere . Non geras conflictum , nisi prius indixeris . Nam fraudes & doli imbecillem decent . Eris magnanimus , si pericula nec appetas , vt temerarius : nec formides , vt timidus . Nam timidum nil facit animum , nisi reprehensibilis vitæ conscientia .

DE CONTINENTIA.

Continentiam vero si diligis , circuncide superflua , & in arctum desyderia tua constringe . Considera tecum , quantum natura poscat , non quantum cupiditas expectat . Si continentis fueris , eorumque peruenies , vt te ipso contentus sis . Nam quis sibi ipsi satis est , cum diuitijs natus est . Impone concupiscentia frenum : omniaque blandimenta , quæ occulta voluptate animum trahunt , reiace . Ede circa cruditatem , bibe circa ebrietatem . Observa ne in conuiuio , vel in qualibet vita communitate quos non imitaberis , damnare videaris . Nec presentibus delitijs inhærebis , nec desyderabis absentes . Viciustibi ex facili sit : nec ad voluptatem , sed ad cibum accede . Palatum tuum fames excitet non sapores . Desyderia tua paruo redime : quia hoc tantum curare debes , vt desinant : atque ita ad exemplar diuinum compositus , à corpore spiritum , quantum potes , abducito . Si Continentiae studes , habita non amœnè , sed salubriter : nec dominum esse velis noctum à domo , sed domum à domino . Non tibi ascribas , quod non eris : nec quid esse maius , quam es videri velis . Hoc magis observa , ne paupertas tibi immunda sit , nec parsimonia sordida , nec simplicitas neglecta , nec lenitas languida . Et si tibi res exiguae sunt , non tamen sint angustæ . Nec tua defreas , nec aliena mireris . Si con-

tinentiam diligis, turpia fugito antè, quām eueniant: nec quenquam alium vereberis plus, quām te. Omnia tolerabilia præter turpitudinem crede. A verbis quoque turpibus abstineto, quia licentia eorum impudicitiam nutrit. Sermones viiles magis, quām facetos & affabiles, ama: & rectos potius, quām obsecundantes. Miscebis interdum serīs iocos, sed temperatos, & sine detrimento dignitatis ac verecundiae. Nam reprehensibilis risus est, si immodicus fuerit, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus. Odibilem quoque facit hominem risus aut superbus & clarus aut malignus & furtiuus, aut alienis malis euocatus. Si ergo tempus iocos exigit, hoc quoque cum dignitate sapientiae gerere: ut te non grauet quisquam tanquam asperum, nec te contemnat tanquam vilem. Nec sit tibi scurrilitas, sed gratia urbanitas. Sales tui sine dente sint, ioci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu. Quies tibi, non desidia erit: & cum ab alijs luditur, tu sancti aliquid, honestique tractabis. Si continenses, adulaciones evita: sitque tibi tam tristelaudari à turpibus, quām si lauderis, ob turpia. Lætior esto, quoties displices malis: & malorum de te existimationes prauas, in veram tui laudationem ascribe. Difficillum opus continentiae est, assentationes adulatorum repellere, quorum sermones animum quadam volvate resoluunt. Nullius per assentationem amicitiam merearis, nec ad tuam promerendam per hanc additum alijs pandas. Non eris audax, nec arrogans, nec pertinax. Sumiteste, non projicies grauitate seruata. Admoneberis libenter, & reprehenderis patienter. Si meritò obiurgauerit te aliquis, scito quòd profuit: si immeritò, scito quòd prodeſſe voluit. Non acerba-

By

sed blanda timebis verba. Esto vitorum tuorum fugax ipse, aliorum vero neque curiosus scrutator, neque acerbus reprehensor, sed sine exprobratione corrector, ita ut admonitionem semper charitate & hilaritate praeuenias, & errori facile veniam doneas. Nec extollas quenquam, nec deicias. Dicentium esto tacitus auditor, auditorum promptus repetitor. Requirenti facile responde. Contendenti facile cede, nec in iurgia execrationesque descendas. Si contines es animi tui, & corporis motus obserua, ne indecori sint: nec illos ideo contemnas quia latent: nam nihil differt si nemo videat, cum tu ipse illos videoas. Mobilis esto, non leuis: constans non pertinax. Alicuius rei scientiam te habere, nec ignorantem sit, nec molestum. Omnes tibi pares facies. Inferiores superbiendo non contemnas, superiores recte viuendo non metuas. In reddenda officiositate neque negligens, neque acerbus exactor appareas. Unctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus aequus. Esto seuerior iudicio, quam sermone: vita, quam vulnu: clementia cultor, sauitia detestator: bona fama neque tua seminator, neque inuidus alienae. Rumoribus, criminibus, suspicionibus minimè credulus sis, sed potius his, qui per speciem simplicitatis ad nocendum aliquibus subrepunt, oppositiissimus sis. Ad iram tardus: ad misericordiam pronus: in aduersis firmus: in prosperis cautus, & humilis: occultator virtutum, sicut aly vitiorum: vanæ gloriae contemptor: & bonorum quibus præditus es, non acerbus exactor. Nullius imprudentiam despicias. Rari sermonis ipse, sed loquacium patiens: seuerus, non sauvus: hilares non spernans: sapientia cupidus, & docilis. Quæ nostri, sine arrogancia postulanti impertias: quæ nescis, sine occultatione ignorantiae tibi postula impertiri. Non conturbabit

Sapiens mores publicos, nec populum in se vita nouitate con-
uertet.

DE IUSTITIA.

IUSTITIA posthac virtus est. Quid autem est iustitia,
Insi naturæ tacita conuentio, in adiutorium multorum
inuenta? Iustitia non est nostra constitutio, sed diuinalex,
& vinculum humanæ societatis. In hac non est, quod exi-
stimus, quid expedit: expedit etenim, quicquid illa di-
ctauerit. Quisquis ergo hanc sectari desyderas, time prius
Deum, & ama, ut ameris à Deo. amabis autem Deum, si il-
lum in hoc imiteris, ut velis omnibus prodeſe, & nulli nocere.
& tunc te virum iustum appellabunt omnes, sequentur, ve-
nerabuntur, & diligent. Iustus enim vt sis, non solum non
nocebis, sed etiam nocentes prohibebis. nam nil nocere non est
iustitia, sed abstinentia alieni. Ab his ergo incipe, ut non
auferas: & vt ad maiora proueharis, etiam ab alijs ablata
reſtitue. raptoreſ quoque ipſos, ne alijs timendi ſint, caſtiga,
& cohibe. Ex nulla vocis ambiguitate controverſiam neceſtas,
ſed animi qualitatem ſpeculare. Nihil tibi interſit an affir-
mes an iures. De religione ac fide ſcias agi, vbi cunque de veri-
tate tractatur. nam et ſi iure iurando Deus non inuocetur, &
non inuocanti testis eſt, tamen inde non tranſeas veritatem,
ne iustitiae transſiliaſ legem. Quod ſi aliquando coarcteris uti
mendacio, utere non ad falsi, ſed ad veri cuſtodiam. Et ſi
contigerit fidelitatem mendacio redimi, non mentieris, ſed
potius excufaberis, quia tibi honesta cauſa eſt. Iustus secre-
ta non prodiſt. tacenda enim tacet, loquenda loquitur: at-
que ita illi alia pax eſt, & ſecura tranquillitas, ut dum alijs
a malis vincuntur, ab illo vincuntur mala. Haec ergo ſi ſtude-

B iiij

FOR M V L A

re curaueris, latus & intrepidus cursus tui finem expectabis: prospicies tristia huius mundi hilaris, tumultuosa quietus, extrema securus.

DE MENSURA ET MODERATIONE
PRUDENTIAE.

HI s ergo institutionibus obseruatis, haec quatuor virtutum species perfectum te facient virum, si mensuram rectitudinis earum aequo viuendi fine seruaueris. Nam prudentia si terminos suos excedat, callida & pauida commiseris, investigator latentium, & scrutator qualiuscunque noxarum offendenteris: notaberis inimicus, timidus, suspiciosus, attentus: semper aliquid timens, semper aliquid querens, semper aliquid comminiscens: & subtilissimas suspiciones tuas ad reprehensionem alicuius impingens admissi: monstraberis digito astu plenus, versipellis, & simplicitatis inimicus, contemplatorque culparum: & postremo uno nomine vocaberis à cunctis, malus homo. In has ergo maculas Prudentia immensurata perducit. Quicunque in ea mediocritate persistit, nec obtusum in se aliquid habeat, nec veretur.

DE MODERANDA FORTITUDINE.

MAGNANIMITAS autem si se extra modum suum extollat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum, & in quascunque extollentias dictorum factorumque neglecta honestate festinum, qui momentis omnibus superciliosa erigens, & bestiarum setiam, quieta excitat, alium ferit, alium fugat. Sed quanvis andax sit impugna-

tor, tamen multa extra se valentia ferre non poterit, sed aut miserum oppedit finem, aut erum nosam sui memoriam derelinquit. Mensura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominem nec audacem.

DE MQDO TEMPERANTIAE.

CONTINENTIA deinde his terminis te astringat. Caeue, ne parcus sis, ne suspiciose & timide manum contrahas: nec in minimis quoque speculum ponas. Nam talis & tam circunscisa ritis putabitur integritas. Hac ergo mediocritatis linea Continentiam obseruabis, ut nec voluptati deditus, prodigus & luxuriosus appareas: nec auara renacitate sordidus, aut obscurus existas.

QUALITER SIT MODERANDA IVSTITIA.

IIVSTITIA postremò eo mediocritatis tenore regenda est, ut nec ductu iugiter leni immotam semper animi rationem negligentia subsequatur: dum neque de magnis, neque de minimis errantium vitis corrigendis curam geris: sed licentiam peccandi aut alludentibus tibi blande, aut illudentibus proterue, permittas. neque rursus nimia rigiditate, & asperitate, nihil venia aut benignitati reseruans, humane societati durus appareas. Ista ergo amabilis iustitia regula tenenda est, ut reverentia disciplinae eius neque nimia negligentia, communitate respecta, vilescat: neque severiori atrocitate durata, gratiam humanæ amabilitatis amittat.

FORMVL A VIT AE HONEST AE.

CONCLVSIO PRÆMISSORVM.

SI QV I S ergo vitam suam ad utilitatem non tantum propriam, sed etiam multorum, inculpabiliter componere desyderat, hanc prædictarum virtutum preclarum formulam pro qualitatibus temporum, locorum, personarum, atque causarum, eo mediocritatis tramite sequatur, & teneat, vt, velut in quoddam meditullium ascendens, quasi per abrupta alcrinsecus præcipitia, aut ruentem mentis compos ipse deuitet insaniam, aut deficientem contemnet ignoriam.

F I N I S.

